

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

D. Valentino pastori ecclesiae Dei in Dobell, Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

dabit. Nostro et N. cōsilio perpulsus est, ut hoc iter susciperet. Et nos bono & simplici studio propter utilitatem uestræ Ecclesiæ ad hoc iter eum hortati sumus. Anglus est, sed inter Germanos diu uixit, & iusticia & fide & constantia in omni officio tanta præditus, ut dignus sit, quem omnes boni ament & adiuuent. Quare te etiam atq; etiam oramus propter Christum filium Dei, ut hunc hospitem amanter complecti, & tuis ciuibus commẽdare uelis, ut ei functionem Ecclesiasticam commendent. Plurimum prodest in Ecclesijs, concordese collegas. Id cum optimè intelligat hic Ioannes, & cum ipse natura sit amans pacis, summo studio tecum communem tranquillitatem tuebitur. Maxime igitur tibi optandum est, ut talem collegam habeas. Bene uale: die 18 Septembris, 1543.

D. Valentino pastori Ecclesiæ Dei in Dobbell, Philippus Melanchthon

S. D.

Venerande uir: Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ suæ, oro, ut idoneos ministros in messem suam extrudat: sicut nos petere filius Dei iussit. Nos etiam conferamus cōsilia in querendis idoneis uiris, qui & doctrinam reeclẽ teneant, & modesti sint. Quare cum ad me scripsisset uir ueneran

no 3 dus

aus pastor Ecclesie Dei in oppido Oschitz, in Ecclesia tua diaconum desiderari: ac petiisset indicari talem uirum, cuius eruditionem et mores probarem: nisi ad uos hunc Philippū Salzungensem, auditorem nostrum, quem sepe audiui in scholis. Doctrinam Ecclesie rectè didicit, & mores eius sunt modesti. Sed tamen uestro iudicio & arbitrio de eo statuetis. Nam ego nō plus mihi sumo quàm decet. Tantum indicare aliquos rogatus soleo, & addere testimonia. Ac Deum oro, ut ubiq; Ecclesias protegat, seruet ac regat. Bene uale, Anno 1547.

Viro optimo ex equestri ordine, D. Ioanni Iordano Hertzheimero, in aula principis Moguntini degenti, patrono suo,  
Philippus Melanchthon  
S. D.

Non existimo parum uideri gratum aut memoriam, qui serò gratias agit: cum in animis perpetua gratitudo esse debeat: tamen si mox decreueram rescribere, postquam accepi unà cum tuis literis munus illustrissimi Principis. Sed fortè accidit, ut hic meus nuncius tunc, ignorante me, nescio quò profectus sit. Itaque primùm hoc te oro propter tuam humanitatem, ut hanc meam moram boni consulas: deinde, ut eam apud illustrissimum Principem excuses. Valde enim præstare cupio, ne me hominem ingratum